

Lebensabriffe einiger Schönthalser Mekte und Conventualen.

303

enim conscientia ipsius veluti oculi sani naturam, minutum quantumvis pulvisculum aut imperfectionis arenulam ferre non sustinentis. Unde venialia deliberata religiosorum peccata tanquam sacrilegia reputare solebat, et actualem omissionem non proficiendi in particulari et ordinato modo, pro laesione religiosae professionis habere. Non quod laboraret conscientia erronea aut viliose scrupulosa, aut defectu scientiae requisitae sic judicaret poenitentium mentes; sed quod accurate et ex vero, creaturae a deo creatae, redemptae, suique conditoris servitio et fidelitati omnimodaevolorum vinculo obligatae et totaliter consecratae debitum, Galilaei conspicio et tubo purae mentis intueretur. Quapropter non mirabitur conscia mens recti, nec divinae beneficentiae inexperta, si cordi, vitiorum non modo, sed et parvorum defectuum vel peccatorum naevos tam sollicito fugitanti, plures gratiarum et coelestium favorum liquores instillaverit largissimus honorum omnium remunerator deus. Quod non sic velim intelligas, quasi immunem et absolutum a quovis peccato vel defectu constituere velim (non enim est homo, qui non peccet) nam habuit sine dubio et suos defectus, quos humanus oculus notare, quin et zoilorum lividus lippusque observare vel carpere potuit. In conversatione communi et recreationibus, quibus ex obligatione officii prioratus interesse debuit, tetricus non fuit; nocivam vero melancholiam et inordinatam tristitiam forte inadvertenter subrepentem, cum primum advertit, vel abigere, vel utiliter in bonum animae convertere studebat. Facetus subinde fuit et hilaris, sed pie et cum intentione et conatu ordinarie derivandi discursum et colloquia ad deum aliumque bonum finem: vel etiam palliandi et occultandi prorumpentem devotionis gratiam in pectore diffusam: aut excitandi alios tollendique ex animis displicentiarum et similium humanorum morborum humores etc. Animabus defunctorum ipsi sese non raro insinuantibus, orationibus, missae sacrificiis aliisque bonis operibus profuit et opem tulit. Alias gratias, quas a deo, beatissima virgine et sanctis angelis consecutus est, pratero.

Obiit venerabilis pater, ut supra dixi, in pago haeretico Schwalbach\*, sub antiphona illa: „sub tuum praesidium etc.“ ad illa verba: „nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper etc.“ inter manus domini abbatis Christophori et patrum, Adami Schüll, Edmundi Rheinhold, Bernardi Heilig, Speciosae Vallis religiosorum,

Langenshwalbach im Nassauischen Ante Langenshwalbach.

anno 1644, die 19 Julii, hora 10. meridiana, quam diem et horam obitus sui octiduo ante suo confessario d. abbati praedixerat. Educavit in religione et ad professionem deduxit religiosos 12 infra ponendos, videlicet a patre Bernardo Heilig, inclusive, usque ad patrem Christophorum Reichart exclusive\*: quibus et aliis ipsum ad vitam saecularis, haec testamenti loco reliquit: „Amate, obtemperate, perseverate. Amate ordinem, regulam, statuta, usus diligenter servando. Obtemperate abbati, prioribus et praesidibus, etiam inferioribus. Perseverate usque in finem. Valetate et vivite in vulneribus Jesu, inter ubera matris, sub mellea umbra s. p. Bernardi!“

Ista quae de hoc venerando patre nonnulla ex pluribus congressi et scripsi, tum ex propria manu ejus, ex injuncto s. obedientiae, notatis et conscriptis, tum ex testimonio rev. d. nostri Christophori, abbatis, ejusdem per plures annos confessarii et familiarissimi, tum ipsemet oculis, auribus et propria experientia hausi\*\*. Scripsit plura spiritui inservientia et spiritu suo digna fervoremque et zelum dei et ordinis atque animae pietatem spirantia, e quibus aliqua perierunt, nonnulla supersunt. In haec si forsitan quandoque incideris et non aequae genio tuo sapida arriserint nonnulla, memento, quaeso, te lectorem, non censorem nec momentum esse et quae vel probare nolueris, vel capere nequiveris, ridere aut improbare nequaquam velis. Doleo, quod de prioribus et praecipue primis hujus Vallis nostrae religiosi incolis et filiis, e quibus absque dubio multi multis et variis virtutibus, gratis et donis insignes extiterunt, in hunc librum scribenda et annotanda non repererim\*\*\*. Cujus rei causa indubie fuere, vel humilis primorum patrum sanctaque ordini ab incunabulis congenita simplicitas, dum viri illi virtutum esse, quam haberi aut videri, sancti maluerunt, adeoque raro, et vix alia, quam rara pietatis charismata et specimina chartis commendarunt: vel temporum iniquitas, et humanarum mentium, subinde etiam religiosarum, fragilitas et constantia: aut denique, et potissimum multiplex diversis saeculis monasterii direptio, devastatio et tantum non secuta eversio.

[fol. 119<sup>b</sup>.] Georgius Menz, Laudanus ad Tu-

\* Diese Patres sind: Bernhard Heilig, Robert Hartmann, Gerhart Gans, Franz Kross, Hugo Stopper, Albrecht Geishardt, Michael Schwarz, Benedict Wejferlin, Candidus Gassenfahd, Michael Faber, Angelus Hebenstreit, Gottfried Weber.

\*\* A. Hebenstreit gebraucht in seinen Aufzeichnungen oft die erste Person Singular.

\*\*\* Diese Wendung stimmt ganz mit derjenigen überein, welche A. Hebenstreit in seiner Einleitung einige Male gebraucht.